

cujus acta profert, iv demum Cordubensi, de quo A nunc agimus : certissimum haberi debet, non alteri quam i Arelatensi exceptori sive notario publice oblatum ab Hispanis cultum in dedicatione ecclesiarum fuisse. Quod maxime de Toletanæ urbis ac territorii, quo Mantuo-Carpetana, seu Matritensis curia comprehenditur, sacris ædibus a Genesio martyre nuncupatis, fateri oportet. Ad Toletanorum enim res et usum præcipue spectare quidquid in Gothicos ecclesiastici ritus libros ad Isidoro Hispanensi Hispaniarum doctore vulgo appellatos, cum ab ipso, tum ab aliis Toletanis episcopis fuit conjectum; indeque desumendum antiquorum in solvendis sacris his officiis propositum, nemo inficiabitur.

86. Atqui non de alio quam de Genesio Arelatensi in Breviario et Missali Gothico ad vicesimum quintum Augusti diem fit mentio : ubi prostat officium proprium hujus martyris cum hymno, unde hæc ad rem nostram excerpimus :

Genesius igitur ille juvenculus,
Civis eximius Arelatis oppidi,

Ætatis peragens fœcula primulæ
Injuncto paret ordini.
Exceptor igitur dum nitesceret,
Ac jussa tabulis publica scriberet,
Afflatus subito munere cœlico,
Quo vota cumulat pia,
Extemplo officium abnuat impium,
Et ceris renuit imprimere manum,
Cœlestis cupiens effici accola.
Vita, votisque, moribus, etc.

Et putasne ad alterum olim directum cultus solemnissimum officium, alteri autem Genesio dicata fuisse sacra templa, non Matriti tantum, Toletique, aut Cordubæ; sed et Hispali, et Salamanticæ, ac forsitan alibi? Credant Bivarius, Ramirezius, Tamaius (qui carmen quoddam Cypriani sui Cordubensis hypobolymæi adducit), Argaiziusque superstitione his falsis historiæ numinibus assurgentes; non cæteri, quibus intimatum jam sæpius fuit B devitare hos scopulos, quibus jam fere universæ antiquitatum nostrarum auctoritas navem allisimus.

PROLOGUS P. HIERONYMI DE LA HIGUERA

IN

CHRONICON LIUTPRANDI.

(Apud Reuberum, *Collect. vet. script.* Antwerp. 1640.)

Ex libro Gothico ex bibliotheca Fuldensi detracto, Wormatiamque allato, exemptum est Chronicon Eutrandi, vel Liutprandi, Toletani quondam subdiaconi, levitæ vero Ticinensis. De quo quid auctores dicant, primo dixerim. Meminit ejus Onuphrius Panvinius in principio Chronici ecclesiastici. et in ipso Chronico anno 959 his verbis : « Vitichindus monachus Corviensis, et Liutprandus Ticinensis, historici; » dominus Didacus Hurtado de Mendoca in Memoriali; P. Joannes Mariana; cardinalis Robertus Bellarminus; Cæsar Baronius in Annalibus ecclesiasticis; et Trithemius De scriptoribus ecclesiasticis in hunc modum : « Eutrandus, vel Liutprandus (213) Ecclesiæ Ticinensis diaconus, ex Pavia civitate oriundus, Berengarii regis Italiæ quondam scriba et secretarius, vir in sæcularibus litteris satis eruditus, et divinarum Scripturarum non ignarus, ingenio acer et vehemens, Græco et Latino sermone peritus, et non minus carmine excellens quam prosa, fertur nonnulla præclara scripsisse opuscula, quibus nomen suum notificavit. A Berengario rege Italia pulsus, venit in Germaniam; apud Francofordiam positus, scripsit insigne opus, historiam sui temporis, et tyrannidem ipsius Berengarii continens. Quod, quasi pro vicissitudine injuriarum ab eo perceptarum, prænotavit Antapodosim, id est, Retaliationem, libro septimo. Regnantibus, imo sævientibus de aliis, vidi nihil. Scripsit præfatum volumen ad Regimundum Illiberitanæ Hispaniarum Ecclesiæ episcopum, in quo aliquando carmine utitur, aliquando Græco sermone, multa de Germanorum gestis interserens. Claruit sub Otthone imperatore anno Domini 950.» Nota legendum pro *Regimundum*, *Tractemundum*. Erratum est et in *Historia*, *Raimundum*, pro *Tracte-*

(213) Jodocus Badius Ascensius id editione librorum Liutprandi de Reb. gestis per Europam *Liutprandum* nominat, et edidit; et in epistola pro-

mundum. Meminit et ejus Julianus subdiaconus Toletanus in lib. De ordine archiepiscoporum, in hunc modum : « Anno 946 Bonitus Toletanus episcopus annis duobus sub hoc floruit Eutrandus sive Liutprandus, diaconus Ticinensis, Toletanus subdiaconus, et Tractemundus presbyter, post episcopus Illiberitanus, ab eodem Bonito missus; » vir doctus, cujus etiam testimonio graves auctores utuntur libenter; et in his Gabriel Vazquez, in libro De adoratione imaginum; quem cum tanta eruditione quam admiratione doctissimorum, et magna laude egregiæ Universitatis Lovaniensis, ante decem plus minus annos, in lucem dedit. Sed quid moramur in recensendis auctoribus? nullus ipso melius suis se coloribus exprimit. Sic ille in principio Historiæ in epistola : « Reverendo totiusque sanctitatis pleno domino Raimundo, Liberitanæ [*lege* Tractemundo Illiberitanæ] Ecclesiæ episcopo, Liutprandus Ticinensis Ecclesiæ, suis non meritis, levites, salutem. Biennio ingenii parvitate petitionem tuam, Pater charissime, distuli, qua totius Europæ me imperatorum regumque facta, sicut is, qui non auditu dubius, sed visione certus, ponere compellebas. Hæc si quidem res animum deterruere meum, ne id inciperem, [*forte*, susciprem] copia (cujus sum penitus expertus) dicendi, et detractorum invidia. Qui supercilio tumentes, lectionis desides, ac (secundum eruditi viri Boetii sententiam) philosophiæ vestis particulam habentes, totamque se habere putantes, hæc mihi sunt insultantes dicturi : Tanta majores nostri scriptitarunt, ut multo amplius lectores quam lectiones deficiant; illudque comicum garrient : Nihil dicitur quod non fuerit dictum prius. Quorum latratibus hæc respondeo, quod philosophi, more

sphonetica *Liutbrandum* ab aliis agnitum scribit. Nos vero, *Liutprandum* semper excludendum curavimus.

hydropicorum (qui quo amplius bibunt, eo ardentius sitiunt) quo sæpius legunt, eo avidius nova quæque perquirunt. Qui si perplexa facundi Tullii lectione fatigantur, apertis saltem nœniis animentur. Nam, ni fallor, sicut oculorum obtutus, nisi alicujus interpositione substantiæ solis radiis reverberatus, obtunditur, ne pure, ut est, videatur: ita mens academicorum, peripateticorum stoicorumque doctrinarum jugi meditatione infirmatur, si non aut utili comœdiarum risu, aut heroum delectabili historia refocillatur. Quod si priscorum ritus execrabilis paganorum, non solum, inquam, non proficiuus, verum auditu ipso non parum nocuus, Thronus [al. Tonus] memorandus inscribitur; quid istorum imperatorum facta, Julii, Pompeii, Annibalis, fratrisque ejus Asdrubalis, ac Scipionis Africani, insignium imperatorum laudibus cœquanda, silebuntur? cum præsertim insit iis Domini nostri Jesu Christi, dum sancte vixerint, bonitas recitanda; dum quid deliquerint, salubris ab eodem correctio memoranda. Nec moveat quempiam, si encervatorum facta regum, principumve effeminatorum, huic libello inseruero. Una est enim justa omnipotentis Dei, Patris scilicet, Filiique, et Spiritus sancti virtus; quæ hos juste suis pro scelere comprimunt, illos meritis dignis extollit. Hæc, inquam, est vera Domini nostri Jesu Christi sanctis facta promissio: Observa, et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis; et affligentes te affligam, et præcedet te angelus meus (*Exod.*

A xxiii 24-25). Per Salomonis quoque os Sapientia, quæ est Christus, clamat: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. (*Sap. v, 21*). Quod quotidie etiam qui stertit, animadvertit. » Postea idem auctor loquitur primo capite hujus operis, quasi non ignarus rerum Hispanicarum: « Quomodo, inquit, tuam, Pater, prudentiam minime latere reor, imo melius scire, sicut ab ipsis, qui vestri sunt tributarii regis Abderahamensis, potestis conjicere. » Narrat eum ibi, quod viginti Saraceni venerunt de Hispania in navicula, et invaserunt oppidulum quoddam forte, nomine « Fraxinetum », in confiniis Provinciæ et Italiæ; et venientibus ex Hispania centum Mauris, illorum auxilio ibi remanserunt. Et lib. v, cap. 3, idem assertit: « Hoc in tempore rex Hugo, datis decem nummorum modiis, pacem cum Hungaris fecit; quos ab Italia acceptis obsidibus expulit, atque in Hispaniam dato eis præduce direxit. Quod vero et ad Hispaniam et ad civitatem ipsam, in qua rex morabatur, Cordubam non venerint, hæc causa fuit: quoniam triduo per inaquosam et asperam viam ducti, cum timerent se siti perituros, præduce sibi ab Hugone concessa morte tenus vulnerato, celeriori cursu reversi sunt. » Cardinalis Cusanus in opere, quod De concordia catholica ad concilium Basileense scripsit, citat Luitprandum tanquam auctorem gravem, et maxime verum. Sed hæc instar proœmii sufficiant; jam ad rem ipsam.

CHRONICON LIUTPRANDI

TICINENSIS DIACONI, TOLETANI VERO SUBDIACONI,

AD

TRACTEMUNDUM [AL., REGIMUNDUM]

EPISCOPUM ILLIBERITANUM.

Epistola Tractemundi [al., Regimundi] episcopi Illiberitani in Hispania ad Luitprandum diaconum Ticinensem et Toletanum subdiaconum.

Sancto et amabili filio LIUTPRANDO, olim Ecclesiæ Toletanæ subdiacono, Ticinensis vero levitæ, TRACTEMUNDUS Ecclesiæ Illiberitanæ peccator epi-

P. DE LA HIGUERA ET

Satis multis dictum est de Eutrando, vel Luitprando, subdiacono Toletano, diacono vero Ticinensi, qui fuit a secretis Berengarii imperatoris junioris; postea venit in Germaniam, et anno 970 scripsit *Chronicon*, quod scholiis illustrare conamur: anno vero 973 venit Toletum ex cœnobio Fuldensi; ac senectute et ægritudine confectus fatis concessit. Sepultus est (ut refert Julianus archipresbyter S. Justæ) in eadem basilica: vir egregio præditus ingenio, et ad poeticam bene natus. Quem ordinem secutus sum in illustrandis Dextro ac Marco Maximo, in hoc etiam illustrando sequar. P. H.

(214) *Etenim vita nostra militia est.* Apponit textum Job. cap. viii, v. 1, et addit explicationem illi loco explanando genuinam. Agnoscit namque vitæ pericula, et nisi jubente Domino, abitionem nobismet ipsis dicere non licere. *Militiam*, *κατατήριον*, interpretantur Septuaginta, *exercitationem*, seu *probatio-*

C scopus, salutem in Domino nostro Jesu Christo.

Lectis tuis litteris, fili charissime, magna consolatione suffusus sum, sciens te recte valere, ac in Germaniæ longa peregrinatione, in patientiæ peritili exercitatione valde proficere. Etenim vita nostra militia est (214), a multis quidem retro temporibus

D. LAURENTII NOTÆ.

nem; scilicet militiæ pericula, quid aliud, quam probationes et exercitationes? Insuper animadvertendum, ut militiæ tempus non longum, et occasio debellandi brevis; ita vita: et sicut duobus vel tribus mensibus fit congressio, postea canitur receptui; sic ad tempus vivimus, ad temporis præfinitionem laboramus: tunc ab imperatore missio datur, et e præsidio disceditur. Appositissime Cicero De senectute: « Vetatque Pythagoras injussu imperatoris (*id est Dei*) de præsidio et statione vitæ decedere. » Adducam novum antiquum testimonium, quod, ne a blattis et tineis adsuam pereat, edo et luci do, elucidabitque totam rem. Est D. Alphonsi de sancta Maria, archiepiscopi Burgensis, qui Joannis II Castellæ regis jussu, aliqua opera Senecæ, Hispano sermone donata evulgavit, et illustravit Notis: quæ omnia antiquissimis characteribus scripta habeo; et quorum meminit Ferdinandus del Pulgar in *Viris illustribus* titulo 22. Ait ergo ad